LECTOR BENEVOLE.

NOtissima res est, Dissertationes Academicas, eas præsertim, quæ ex Jure Publico desumtæ sunt, solicite à quam plurimis requiri, at vero facilime quoque ita distrahi & divendi, ut interdum vix aliquot Annis interjectis, adeo ipsis illis in locis, ubi prodiere, ne unicum quidem venale prostet amplius earum exemplum, etiamsi singula Folia singulis florenis velles redimere. Iis vero in Academiis, quo vel plane nullæ, vel raræ advehuntur Dissertationes aliarum Academiarum, ne eæ quidem haberi possunt, quarum alibi insignis copia suppetit. His motus rationibus autor fui, dum Tubingæ degerem, nonnullis loci Typographis, facerent periculum Collectionis universalis omnium, quotquot extant, Dissertationum Juris publici Germanici universalis. Paruere moxque emisso in publicum tum totius Operis, tum Voluminis primi conspectu manus rei admovere & ecce Specimen Collectionis sane vastissimæ intra spatium præfixum plene absolutum.

Juvat repetere ideam Operis, quæ hæc est:

1. Intrabunt hanc Collectionem eæ solum Dissertationes, quæ de Jure publico Germanico universali agunt, adeoque nihil jam ad nos Dissertationes Juris publici Germanici particularis, Juris publici Italici, Jurisve publici universalis (qualium Dissertationum uti & minorum Juris publiei opusculorum facile se subducentium Volumina tamen alio forte tempore dabimus,) vicissim autem nostras facimus illas Dissertationes, quæ Jus privatum Statuum Imperii secundum alios respiciunt, nec non eas, quæ cum multa ex Jure privato, Canonico vel Feudali, tum multa quoque ex Jure publico continent.

2. Terminum à quo Dissertationum huic Collectioni inserendarum statuimus periodum conclusæ Pacis Westphalicæ, cum ex eo præcipue tempore studium hoc coli & excoli cœperit in Germaniæ Academiis.

3. Minime negamus, plures intra decursum hujus spatii prodiisse & prodire nunc quoque Dissertationes Juris publici admodum macilentas, quæ tamen me movere rationes, ut & iis locum hic concederem, hæ sunt: a) variant hic quoque insigniter gustus hominum, b) sæpius singularia & non ubivis obvia Themata tractant, c) sunt, qui Dissertationibus certi loci, Præsi-

sidis,

ſidis, Reſpondentis vel Periodi, pretium affectionis, quale ex alio capite vix meretur, ſtatuunt, d) denique, ſi univerſalis Collectionis titulum ſuſtinere volet hoc Opus, mala utique miſcenda erunt bonis & bona malis.

4. Non intrabunt hanc Collectionem eæ Diſſertationes, quæ jam aliis ſive Collectionibus ſive Operibus ſunt inſertæ, vel quæ ſub ſpecie Tractatuum fuere recuſæ & in Bibliopoliis proſtant adhuc; quodſi vero ipſæ hæ Collectiones, Opera & Tractatus raro appareant, tum inſtituto noſtro convenire arbitramur, ut ejusmodi Diſſertationes luci publicæ reſtituamus, niſi tamen auctæ fuerint, quando Tractatus formam induere.

5. Orationum & Programmatum Academicorum ad Jus publicum ſpectantium cum eadem plane ſit ratio, eædemque cauſæ moventes, ut & eas recudi curemus, quæ Diſſertationum, illarum quoque aliquot in Appendice Voluminis dabimus.

6. Singulis porro Tomis adjicietur aliquid inediti ex Jure publico, & deſtinaveram ſane huic Volumini Scriptum aliquod, materiam ſi ſpectes, maximi omnino momenti, at vero promiſſis ſtare certis de cauſis mihi non licuit, aliud ergo Opuſculum & hoc, quantum ſcimus, hactenus latens ſurrogandum erat, idque Cortrejanum, vaſto Autoris Operi, quod Corporis Juris publici Elogio ſuperbit, Supplementi loco inſerviens.

7. Fidem quoque tibi, Lector, adſtrinxi meam, daturum eſſe me in Præfationibus ſucceſſive Catalogum omnium earum Diſſertationum Juris publici, quæ vel Collectionibus Librisve aliis ſunt immixtæ, vel in forma Tractatuum recuſæ, ſingulis quoque Voluminibus additurum Indicem præcipuarum in iis occurrentium materiarum; quo minus vero æs hoc alienum exſolvam, obſtat moles negotiorum publicorum, quæ me premit, obruit totumque modo occupat, quam vero tum temporis, cum Idea Operis exibat, non prævideram.

8 Tum eorum in gratiam, qui unum vel alterum Tomum tantum ſibi comparabunt, tum, ne, ſi forte Opus hoc vel plane non continuaretur, vel ſaltem non plane abſolveretur, duplicem Operi Titulum præfixi, ita ut, ſi alter arrideat, ſinguli Tomi ſingula conſtituant Opera, ſi vero alter, unicum ſucceſſive continuandum Opus habeas.

9. Continuatio hæc pendebit ex numero Emtorum, qui ſi tantus erit, ut ſumtus in Opus impendendi refundantur, mox Continuationem habebit pediſſequam, ſin minus, eandem interimet.

10. Denique ordinem ſervabo arbitrarium, neque vel ad ſeriem Materiarum, vel Annorum, vel Academiarum me adſtringam, ordine tamen Alphabethico cujusvis Tomi particulas exhibebo.

Vale & fave.

I. DISSER-